



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Quæst. IV. An illa Anniversaria, pro quibus non ampliùs fluunt census,
bonis fine Monasterii vel Deminarii culpa deperditis, cessent per se?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

firmi, & in immemoriam. Certè perpetua apud Auctores, & Practicos, fit mentio præscriptionis immemorialis. Cur ergo potius viâ præsumptionis, quàm præscriptionis, in calu temporis immemorialis dicantur extincta onera pia? Denique adverto ex eodem P. Söll n. 294. non semper præsumendam esse (pro foro utique externo) malam fidem in eo, penes

quem reperitur instrumentum authenticum obligationis & oneris, cui is diuturno tempore ad præscribendum requisito non satisfecit, tunc nimirum, quando ex circumstantiis concurrentibus datur alia præsumptio, in qua potuit fundari bona fides etiam in eo, penes quem reperitur instrumentum. Ita censeo, salvò tamen per omnia meliori.

QUÆSTIO IV.

An illa Anniversaria, pro quibus non amplius fluunt census bonis deperditis sine Monasterii vel Seminarii culpa, cessent per se?

Sic mihi videtur; quia cessantibus redditibus cessare debet ordinatio testatoris, ut loquitur Felinus in c. cum excessissent. n. 19. de Constitut. & cum eo Garcias p. 7. c. 1. n. 125. Lambert, alique, eò quòd cessante causa cessare debeat & effectus. c. 60. de appellat. & cessante vel non impleta conditione conditionatum; sed redditus constituti fuerunt tanquam causa finalis intrinseca, secundaria quidem anniversariorum, at tanquam conditio, sine qua non fuissent suscepta anniversaria; sicut nemo diceret meò iudiciò, si redditus pro beneficio Ecclesiastico destinati interirent penitus, beneficium vel beneficii obligationem adhuc perdurare. Neque paciscentes anniversaria intuitu certorum redditu-

um celebranda censentur se voluisse etiam obligare pro casu, quo cessaturi sunt redditus. Si opponeres, juxta resolutionem nostram prioris quæstionis posse percipi redditus, qui adhuc fluunt, quin detur obligatio ad onera anniversariorum; reponerem, successisse alium titulum, quo percipi possint sine onerum præstatione, nimirum præscriptionem; cujusmodi fundamentum obligandi ad anniversaria, ubi redditus celsarunt fluere, continuanda non ostenditur ex parte adversa. Meæ opinioni adstipulari videtur la Croix lib. 4. n. 855. ubi sic ait: Si uno anno emanant toti fructus, non est obligatio ad ullum onus. Idem repetit lib. VI. n. 118.

QUIÆ